



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

3. Augusti. Vi bonum, quod sit omittatur, sæpius dæmon invitat ad majus;
quod tamen deinde novis difficultatibus objectis impedit, ne fiat. S. ignat.
de discr. spir.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

esse debent, aliàs graviùs nocituri, quàm ignobiles, & ineruditi. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

Magna ingenia magna minantur pericula, nisi virtutis imperio dirigantur. Gladius magis acutus vulnerat, & in plures desævit.

A grandibus ingeniis nihil mediocre expectandum, vel virtuti addicta sunt ex integro, vel insigniter insolescunt. Nec ab ullis respublica plùs accepit detrimenti, quàm ab insignibus ingeniis malè disciplinatis.

Nec in generis, nec in ingenii nobilitate quidquam est gloriæ, si virtute destituta se ad ignobilium sortem abjiciant. Plùs utraque ad contumeliam, quàm sui commendationem momenti affert.

Ubi grande ingenium, nulla sæpe ibi prudentia; quæ si desit, ut corpus oculis, currus aurigâ destitutus, quò? nisi ad precipitium properat. Mediocritas ingenii, ut plùs habet judicii, sic plùs spondet utilitatis.

3. Augusti.

Ut bonum, quod fit, omittatur, sæpius damnum

*invitat ad majus ; quod tamen deinde
novis difficultatibus objectis impedit, ne
fiat. S. Ignat. de discr. spir.*

Praesentia, spe futurorum, dæmon im-
pedit ; hæc ubi præsentia fuerint, ite-
rum impediturus ; ut sic omnia differendo,
nihil fiat cælo, nihil Deo, dignum. Dila-
tione lucri, ut nemo ditior, ita nemo fa-
ctus est sanctior.

Qui tibi hodie boni operis præmium
promisit, crastinum non est pollicitus ; vo-
lat vita, & inopinatò avolat. Quis tunc
propositorum fructus ? hodierna neglexis-
ti, crastina emanerunt, nudis tu manibus
hæres in vado.

Quomodo cras grandia faciet, quem
minimæ hodie tædet difficultatis ? Qui non
cum Milone hodie bajulare potest vitu-
lum, cras bovem minùs bajulabit. E mi-
norum nempe exercitio spes legenda est
ad majora.

Major pars hominis expectando mo-
ritur, differunt sanctè vivere, donec eò ve-
niant, ubi etiam cùm vellent, non ampliùs
possint, dum medios eorum conatus mors
occupat, tantò difficilior, quantò impa-
rator.